6. Iidem AA. Adriano Procur. Africæ.

HOc proſpectum eſt, ut [1] infauſta [2] hoſpitalitatis præbitio tolleretur: nec balneum [3] quisquam a domino ædium poſtulet. Dat. 5. Non. Mart. *Ravennæ*, CONSTANTIO & CONSTANTE CONSS. 414.

7. Iidem AA. Euſtathio P. P.

DEvotiſſimos milites ex procinctu redeuntes, vel proficiſcentes ad bella, muri [4] ſacratiſſimæ Urbis ſingulæ turres in pedeplanis [5] ſuis ſuſcipiant. Dat. 5. Non. Mart. CP. HONORIO XIII. & THEODOSIO X. AA. CONSS. 422.

Medici ſacri palatii, & Urbis Romæ Magiſtri liberalium artium, & pictores ingenui, quoad vivunt, ſunt immunes ab onere hoſpitandi.

8. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Helioni Magiſt. offic.

ARchiatros [6] noſtri palatii, necnon [7] Urbis Romæ, & Magiſtros literarum, pro neceſſariis artibus, vel liberalibus diſciplinis, necnon picturæ Profeſſores (ſi modo ingenui ſunt) hoſpitali [8] moleſtia, quoad vivent, liberari præcipimus. Dat. 14. Kalend. Septembr. HIERIO & ARDABURE CONSS. 427.

9. Iidem AA. Nomo [9] P. Magiſt. offic.

OMnes [10], qui metata [11] in ſuis domibus præſtant [12], ſive hoſpitia præbuerint metatoribus, ſive quolibet pacto ſatis eis fecerint, nullam vel penſionis vel diſcuſſionis domus gratia moleſtiam ſuſtinere cogantur. Deinde [13] neminem volumus cujuslibet loci, vel ordinis in hac florentiſſima urbe domum propriam, excuſantem metatum ſibi in alienis ædibus privilegio militiæ vindicare: quod & in provinciis obſervari oportet: cæteris [14] vero, quibus illuſtris dignitas ſub cingulo vel citra cingulum pro [15] ſuo ſolo honore delata eſt, excuſandarum ædium licentiam penitus denegamus. Hoc juris etiam in his præcipimus obſervari, quos ipſa quidem adminiſtrationis conditio ſpectabiles novit: honor tamen additus a noſtra liberalitate reddit illuſtres: Scituris omnibus quod ſi quis cum cingulo perfruatur, & excuſationem [ita] propriæ domus impetraverit, ut a penſione etiam portionis tertiæ ſit immunis, & militiæ cauſa metatum [in [16]] alienis domibus ſibi crediderit vindicandum: ſi quidem honore præditus excuſationis jus habeat, carebit legum privilegiis, quas fraudare conatus eſt. Si vero inter eos, quibus nulla ſuffragatur dignitas, numeretur, centum [17] librarum auri ſacratiſſimis largitionibus pendendarum illatione multabitur. Datum 17. Kalend. Februar. *Conſtantinop.* THEODOS. A. CONS. [18].

10. Impp. VALENT. & MARTIAN. AA.

HAc [19] lege ſancimus, ut ſi quis Conſularem ac Patriciam meruerit dignitatem, tres domos proprias dum ſupereſt, habeat hoſpitum immunitate ſecuras, heredes vero ejus filii, aut pater, aut mater, nepotes, aut frater, aut ſoror, aut uxor, duarum domorum ſuarum excuſatione potiantur. † Si quis vero Conſulatu [20] tantummodo gloriatur, duas ſemis domos [ſuas [21]] immunes habeat: poſt fata vero ejus memorati heredes unam ſemis domum ſuam habeant nullis hoſpitiis prægravatam. † Pari Privilegio perfruatur cum memoratis heredibus, qui ſolius patriciæ dignitatis ſine conſulatu decoratur inſignibus. † Præfectorii vero, necnon & magiſtri militum duas domos ſuas habeant, quoad vixerint hoſpitibus liberatas. Heredes vero eorum memorati unam defendant domum ſuam ſimili excuſatione munitam. † Magiſtri vero officiorum, vel quæſtores unam ſemis domum ſuam quoad vixerint, habeant hoſpitum onere liberatam. Heredes vero eorum prædicti unam ab hoſpitibus jure defendant. † Comites autem domeſticorum, & protectorum, & ſacrarum largitionum, [& rerum privatarum,] & Vir Spectabilis Primicerius [22] Notariorum, ſingulas domos ſuas ab hoſpitum gravamine, dum vivunt, gaudeant eſſe ſecuras. Memorati vero heredes eorum mediam partem unius domus ſuæ ſciant excuſatione muniri: reſiduæ vero partis dimidiæ tertiam portionem hoſpitibus deputandam eſſe cognoſcant. † Si qui [23] illuſtres honorarias dignitates quascunque ſine actu cœlitus impetraverunt, æquo animo ſuas domus hoſpitibus poſt hanc legem pendant pro tertia, quæ legibus præfinita eſt, portione: exceptis videlicet ergaſteriis, quæ in plateis vel angiportis [24] eſſe noſcuntur, quod in omnibus domibus quæ hoſpitales ſunt, obſervari jubemus, ita ut nemo vel ex ſacro reſcripto, vel ex divina annotatione, ſeu pragmatica ſanctione contra hanc legem uti poſſit excuſationis auxilio: his omnibus, quæ per hanc legem conſtituimus, in hac æterna urbe obſervatis.

11. Imp. ZENO [25] A.

DEcem poſt Primicerium tribunos in domibus, quas in hac regia urbe poſſident, metatorum juſſimus excuſatione mereri.

12.

NEquid Præſes dum [26] per Provinciam oberrat, hac ſpecie exigat a Provincialibus, ne illos hoſpitio gravet, vel ut eis habere arma concedat. Qui ſecus fecerit, ut dignitate, bonisque ademptis exilio perpetuo damnetur [27].

TIT. XLII.
DE [28] SALGAMO [29] HOSPITIBUS NON PRÆSTANDO [30].

1. Imp. CONSTANTINUS [31] A.

NE [32] quis [33] Comitum, vel Tribunorum, aut Præpoſitorum, aut militum nomine, ſalgami gratia, culcitras, lignum, oleum a ſuis extorqueat hoſpitibus, ſed nec volentibus hoſpitibus in prædictis ſpeciebus aliquid auferat: ſed ſint provinciales noſtri ab hac præbitione ſecuri: comitibus, tribunis, vel certe præpoſitis, militibusque gravi vexationi ſubjacentibus. Dat. 5. Id. Octobr.

TIT. XLIII.
DE [34] COMMEATU [35].

Tempore expeditionis nullus militibus commeatus dare poteſt: contra faciens capite punitur. Bart.

1. Impp. CONSTANT. & CONSTANS [36] AA. Leontio P. P.

NE [37] cui liceat Præpoſitorum, vel Tribunorum cohortium, vel vicariorum, & familiarium eorum [38] tempore expeditionis quocunque genere cuiquam de militibus a caſtris, atque ſignis, vel his etiam locis, in quibus [39] prætendunt [40], diſcedendi commeatum dare. Si quis vero contra hanc legem facere auſus fuerit, & militem contra interdictum commeatum dimiſerit ex tempore, in quo Barbarorum incurſio [41] extiterit, & tunc cum præſentes in caſtris, atque apud ſigna milites eſſe debeant, quisquam abfuerit: capite vindicetur. Dat. 4. Kal. Maji, SEVERO, & RUFINO CONSS. 323.

2. Imppp. GRAT. VALENT. & THEODOS. AAA. Syagrio P. P. [illegible]

QUicunque [42] de Scriniis, aut Agentibus in rebus, vel etiam ex Palatinis, his videlicet, qui ſacrarum [43], & privatarum remunerationum comitibus, obſecundant [44], ſex [45] menſium ſpatium ſupra [46] diem commeatus, aut juſſionem evectionis abfuerit: is in inferiorem locum quinque antelatis poſterioribus devolvatur. Is vero [47], qui anni [48] vacationem [49] arbitratu proprio, judicarii præcepti oblitus aſſumpſerit, a decem poſt ſe militantibus transferatur [50]: ac deinde cum jam aliquis deſidia quadriennio officium proprium adire neglexerit, quadriennio poſt [51] ſe militantibus poſtferatur. Qui vero nec [52] poſt quadriennii quidem tempus [illegible]: militantium non immerito matriculis auferatur. Dat. Kal. Oct. AUXONIO, & OLYBRIO CONSS. 379.

Qui ſine commeatu biennio, aut triennio, vel quadriennio vacaverit, modo hic inſcripto punitur. Bart.

3. Impp. [53] HONOR. & THEOD. AA. Hauſoni Com. & Mag. militum.

SI quis ſine commeatu aliquo annum in penatibus [54] propriis, vel in quibuslibet locis deſidioſa quiete tranſegerit, decem ſequentibus poſtponatur: in quo vero biennalis [55] culpa deprehenditur, viginti ſibi antepoſitos congemiſcat: tertius autem annus triginta prælatos ſuis deflebit: [illegible] quat. Dat. Prid. Id. Jun. *Rav.* poſt conſulatum HONORII VIII. & THEOD. V. AA. CONSS. 413.

TIT. XLIV.
DE [56] TYRONIBUS.

1. Impp. VALENT. & THEOD. AA. Modeſto P. P.

NUllus [57] tyro [58] vagus, aut veteranus, aut cenſibus obnoxius, ad militiam accedat. Datum 14. Kalend. Octobr. *Hierapoli*, VALENTE & VALENTIN. III. AA. CONSS. 380.

1 Al. *ne infauſta hoſpitalitatis præbitio tolleretur*, Hal. Eſt vero infauſta hoſpitalitatis meretricum præbitio: ſolebant interdum milites ſcortum a ſuis hoſpitibus exigere. 2 Infanda. 3 Quod & privatum. dixi ad *l.* 13. *C. Theod. h. t. &* 2. Harmen. 4. §. 23. adde Cujac. 9. *obſerv.* 2. 4 Scilicet novi: a Theodoſio juniore conſtructi, de quibus *Nov.* 59. *c.* 5. *l.* 18. *ſupr. de operib. public.* 5 Επιπέδοις. Ita milites olim in media urbe non hoſpitabantur. 6 A metatis ſunt immunes, tantiſper dum vivunt, Archiatri palatii & urbis Romæ, magiſtri literarum (γραμμάτων διδάσκαλοι) pro vere neceſſariis artibus & liberalibus diſciplinis: ut & picturæ profeſſores, ſi modo ingenui ſunt. *Synopſ. h. t. c.* 1. *&* 2. Harm. 5. §. 9. 7 Archiatrorum alii ſacri palatii, alii urbis Romæ. adde *l.* 2. §. *quibus non objicitur longi temp.* vide Hieronymum Mercurialem 4. *Variar.* 1. 8 Hoſpitalitatis. 9 Numo. 10 *Ex Nov. Theod. quam integram edidit Pithœus.* 11 Al. *metatum*, id eſt, diverſorium: & ita accipitur *lib.* 4. *c.* 25. *eccleſiaſt. hiſt.* ſed excuſa lectio extat in *Nov. Theod.* 12 *Al.* additur, *ſive officia.* 13 Metatum in alienis ædibus ſub prætextu militiæ vindicare, nemo cujuslibet gradus aut conditionis poteſt: ſive in urbe Conſtantinopoli, ſive in provinciis. Quin illuſtres excuſationem a metatis non habent, εἴ τε ἄζωστοι εἰσὶν, εἴτε ζωστοὶ, ſive cum cingulo, ſive extra cingulum ſint, ac ſi ille privilegium a metatis impetraverit, privilegio privabitur, ἰδιώτης privatus, centum auri libras ſacris theſauris inferre cogitur. *Syn. h. t. c.* 9. 14 *l.* 10. §. *ult. infr. h. t.* 15 Abeſt *ſuo*, *a Novell. Theod.* in al. deeſt, *ſolo.* 16 Abeſt a *quibusd. lib.* ſed extat in *Nov. Theod.* 17 *Centenarum*, *in Nov. Theod.* 18 Sic legitur in *Novell. Theod. ſed in lib. Cujac.* Theod. & Valentiniano AA. Conſſ. 19 A metatis excuſandarum ædium is modus eſt: ut qui conſularis & patricius factus ſit, tres domos ſuas a metatis excuſet, dum ſupereſt: heredes ipſius (ſive filii ſuccedant, ſive pater, ſive mater, ſive nepotes, ſive fratres, ſive ſorores, ſive uxor) domos duas, *ut hic.* Conſularis tantum, duas ſemis tantum, heredes ejus unam ſemis. *verſ. ſi quis vero* Patricius tantum, idem privilegium habebit. *verſ. pari.* Præfectorii & magiſtri militum duas: ipſorum heredes, unam. *verſ. præfectorii.* Magiſtri officiorum ſeu quæſtores, una ſemis. *verſ. magiſtri.* Comites domeſticorum, protectorum, largitionum (παραχῶν) rerum privatarum, primicerii notariorum, ſinguli unam domum, heredes ipſorum, dimidiam: ut reſiduæ dimidiæ partis portionem metato præbeant. *verſ. Comites.* Illuſtres vero in actu nullo conſtituti, ſed honoraria dignitate duntaxat ornati, nullam: exceptis eorum ergaſteriis, quæ in plateis, vel angiportis ſunt. *verſ. ſi qui illuſtres.* Nullus autem, vel ex ſacro reſcripto, vel ex pragmatica ſanctione ſemet a metatis excuſet. *verſ. ita ut nemo. Synopſ. ibid. cap.* 10. 20 Conſulatum. 21 *Abeſt a quibusd. lib.* 22 Et primicerius. 23 *l.* 9. *verſ. cæteris. ſupr. h. t.* 24 Εν τοῖς στενορυμοῖς. *Synopſis.* 25 *Al.* Leo. 26 Id ἐπιδημητικὸν Græci *Novell.* 134. *c.* 1. dixi ad *l.* 7. *ſupr. de erogat. militaris annonæ. h. l. tit.* 38. 27 Abrogantur ergo epidemetica, & occaſione ἀφοπλισμοῦ id eſt, ne privatis auferantur arma, exactiones, *in Novell.* 8. ἀφοπλιστὰς vocat, qui privatis hominibus habere arma non concedunt. Fit autem hujus conſtitutionis mentio *l.* 26. §. *de epiſc. aud.* Mod.

28 *L.* 7. *C. Th.* 9. 29 *Salgami* appellatione ſignificantur eſculenta, quæ ad condiendum valent. Et hic ſane culcitræ, lignum, oleum numeratur. Hujus vocis etiam meminit & Columella. *Goth.* Vide Cœl. Rodigin. *Antiq. lect. lib.* 30. *cap.* 10 & Alciat. *hic.* Anſ. Adde Forcatul. *in penu juris cap.* 20. Mod. 30 Præbendo. 31 *Al.* Conſtans AA. Leontio P. P. 32 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* Milites ſtipendiis ſuis contenti eſſe debent, quod & Scriptura quoque jubet, ac ut ſint, quod eſſe debent, Reipubl. defenſores & populi: non autem, quod eſſe ſolent, prædones, vetat Conſtantinus milites a ſuis hoſpitibus exigere, ſalgami nomine, culcitram, oleum, lignum. adde Forcatulum *c.* 20. Penus. *l.* 5. *verſ. ſolam. tit. proxim.* adde Roland. a Valle 1. *conſ.* 66. *num.* 4. *&* 9. 33 Qui.

34 *L.* 7. *C. Th.* 12. 35 Commeatus eſt abeundi licentia, data militi ad tempus. Cuj. *hic l. unic. ſupr. in quib. cauſis militantes for. præſcript. uti non poſſunt. l.* 1. *l.* 14. *ff. de re militari.* vide Feſtum *in Remeare*, *l.* 2. *in fin. ff. ad municipalem.* 36 *Al.* Conſtantinus A. *al.* Arcad. & Honor. AA. 37 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 38 Adde *l.* 12. §. 2. *ff. de re militari.* 39 *Quibus*, & deeſt in *C. Theod.* 40 Prætendatur. 41 Excurſio. 42 *l.* 2. *C. Th. h. t.* 43 Comes ſacrarum & privatarum remunerationum, *ut hic*, ſacrarum remunerationum. *l.* 10. *ſupr. de palat. ſacrar. largit. h. l. tit.* 24. *l.* 41. *C. Theod. de appellat.* Is eſt, per quem princeps largitiones publice & privatim facit: præſidebat donis imperialibus. *Caſſiodor.* 6. 44 Obſecundent. 45 Scriniarius magiſterianus, vel palatinus, qui commeatum accipit, ſi ſupra commeatus diem ſex menſibus abſuerit, quinque ſequentibus poſtponi debet. 46 *l.* 3. §. *ſi ad diem commeatus.* 7. *l.* 14. *in princ. ff. de re milit.* 47 His vero. 48 Miles, qui ſupra commeatus diem annum abfuerit, decem ſequentibus poſtponi debet. 49 Vocationem. 50 Transferatur. 51 Ne poſt. 52 Al. *nec poſt quadriennii quidem tempus militaverit*, *non &c.* 53 *Al.* Imp. Zeno A. 54 Penates, domus cujusque. 55 Biennium talis. al. *biennio talis.*

56 *L.* 7. *C. Th.* 13. 57 Pars *legis* 6. *C. Theod.* 58 Tyroni vix fidendum, ita tyroni cuſtodia non tuto committenda. *l.* 14. *in princ. ff. de cuſtodia.*

2. Imppp.

2. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA.

QUisquis [1] alieni juris mancipium in tyrocinio militiæ ſcribi curaverit: convictus, ac proditus auri libram ærario noſtro cogatur inferre, mancipio ſcil. [2] domino (ſi factum ignoraverit) reddendo. Dat. Id. Maji, *Tyro Metropoli*, PP. *Beryto*, ANTONIO, & SYAGRIO CONSS. 384.

3. [3] Imp. HONORIUS A. [4].

TYrones [5] in ſcholis loco ſemper poſteriore ponantur: nec [6] enim patimur quemquam celſiorem gradum obtinere, niſi cui & laborum adſiduitas, & ſtipendiorum prolixitas ſuffragantur. Dat. 7. Kalend. Decembr. *Ravennæ*, BASSO, & PHILIPPO CONSS. 408.

TIT. XLV.
DE [7] LITTORUM [8], ET ITINERUM CUSTODIA.

1. Impp. [9] HONOR. & THEOD. AA. Euſtachio P. P.

SAluberrima [10] ſanctione cenſemus [11], ne merces illicitæ ad nationes barbaras deferantur: & quæcunque naves ex quolibet portu ſeu littore dimittuntur [12], nullam [13] concuſſionem vel damna ſuſtineant: ita tamen ut earum naucleri deponant in quam [14] provinciam ituri ſunt: uti [15] hoc manifeſtato, nulla contra eos poſtea indignatio ſeu concuſſio quoquo modo procedat. Dat. 14. Kalend. Octobr. CP. DN. THEOD. A. IX. & qui fuerit nunciatus 420.

TIT. XLVI.
DE [16] DESERTORIBUS, ET OCCULTATORIBUS EORUM.

Recipiens ſcienter deſertorem in agro vel in domo, ſi eſt Actor vel Procurator, capite punitur. Bart.

1. Imppp. [17] GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Syagrio P. P.

SI [18] quis forte deſertorem agro tectove ſuſceperit, atque apud ſe diu paſſus fuerit deliteſcere: actor quidem vel procurator loci qui hoc ſciens prudensque commiſerit, capitali ſupplicio ſubjugetur: dominus vero ſi hujus rei conſcius fuerit, prædii in quo latuerit deſertor, amiſſione puniatur. Si quis autem deſertorem prodiderit [19], mediocris loci ingenuus immunitate potiatur. Neque ſolum de his loquimur, qui proxime ſignis [20] felicibus applicati, militiæ rudimenta timuerunt [21]: verum etiam qui ſtipendiis militaribus degenerem latebram præbuiſſe monſtrantur [22]. † Deſertor [23] autem habebitur, quisquis belli tempore aberit a ſignis. Horum qui ſponte proceſſerit: peccati anterioris ſupplicium non timebit. Sin vero flagitioſa ignavia deliteſcat: per eum in cujus domo fuerit invigilantiſſimis extrinſecus quoque officiis publicis, ubicunque correptus, ſeveritati judicis offeratur, degeneris mortis [24] gladium ſubiturus. Sin autem Rector provinciæ propoſitam ſeveritatem, vel gratia, vel diſſimulatione diſtulerit, patrimonii, atque exiſtimationis damno ſubjiciatur: & in officii primores capitaliter vindicetur. Dat. Id. Jul. *Romæ*, GRAT. V. & THEOD. I. AA. CONSS. 382.

Deſertor inventus reſiſtens, ut rebellis opprimitur. Bart.

2. Imppp. ARCAD. THEOD. & HONOR. AAA. Adriano P. P.

SI [25] deſertores inventi, reſiſtendum [26], atque armis oppugnandum [27] putaverint: tanquam rebelles [28] in ipſis temeritatis ſuæ conatibus opprimentur: ita tamen ut provinciarum judices ſolicita cautione disquirant, ne ſub falſarum tractatoriarum nomine, deſertionis ſuæ crimen defendere moliantur: nec [29] ſuppoſitis, & [30] commentitiis epiſtolis evadendi habeant facultatem. Dat. 6. Kal. Mart. *Ravennæ*, THEOD. A. I. & RUMORIDO CONSS. 403.

3. Iidem AAA. Longino P. P.

QUi [31] relictis militaribus caſtris, ſe ad deprædationem, vel latrocinium contulerint, ſeveritatem Judicis non evadant [32]. Dat. 9. Kal. April. *Ravennæ*, ARCADIO A. VI. & PROBO V. C. CONSS. 406.

TIT. XLVII.
DE [33] VETERANIS.

Veterani gaudent privilegiis hic inſertis. Bart.

1. Imp. CONSTANTINUS A.

CUm [34] introiſſent principia [35], & ſalutatus eſſet a Præfectis, & Tribunis, & Viris eminentiſſimis, acclamatum eſt: *Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſervet* [*veſtra ſalus* [36]] *noſtra ſalus: vere dicimus: jurati dicimus.* Adunati veterani exclamaverunt: *Conſtantine Auguſte, quo nos veteranos factos, ſi nullam indulgentiam habemus?* Conſtantinus Auguſtus dixit: *Magis, magisque conveteranis meis beatitudinem augere debeo, quam minuere.* Victorinus veteranus dixit: *Muneribus* [37], *& oneribus* [38] *univerſis locis conveniri non ſinamur.* Conſtantinus Auguſtus [dixit:] *Apertius indica, quæ ſunt maxima munera, quæ vos contumaciter gravant.* Univerſi veterani dixerunt: *Ipſe perſpicis.* Conſtant. Auguſtus dixit: *Jam nunc Magnificentia mea omnibus* [39] *veteranis id eſſe conceſſum perſpicuum ſit, ne quis eorum in ullo* [40] *munere civili, nec in operibus* [41] *publicis conveniatur, nec ulla collatione, nec a Magiſtratibus, nec* [42] *vectigalibus in quibuscunque nundinis interfuerint, ullam ob* [43] *venditionem proponendam dare debebunt. Publicani quoque* (ut adſolent [44] agentibus ſupplere [45]) *ab eisdem veteranis amoveantur; quiete poſt labores ſuos perenniter perfruantur. Fiſco quoque noſtro eadem epiſtola* [46] *interdicimus, ut nullum omnino ex his inquietet: ſed liceat eis emere, & vendere, optimis negotiis pecuniam tractare, & mercimonia agitare, nec ſolum integra beneficia eorum ſub ſeculi noſtri otio, & pace perfruantur* [47], *ſed etiam nullo munere civili*, id eſt, *corporali, ſeu perſonali, vel deportatorio* [48] *onere eos affici concedimus.* Dat. Kalend. Mart. Civitate [49] *Bellovacorum*, CONSTANT. A. VI. & CONSTANTIO C. CONSS. 321.

Veteranus factus protector nullis injuriis eſt pulſandus. Bart.

2. Idem A. Maximo.

PRovidendum [50] eſt, ne veterani, qui protectoria dignitate cumulati, aut honores varios pro meritis ſuis conſecuti ſunt, incongruis pulſentur injuriis. quod ſi quis in hoc crimine fuerit deprehenſus: Rectores Provinciarum pro jurisdictione ſua examinantes factum pro ſui qualitate eos coërceant. Dat. 4. Kal. Jun. *Treveris*, JANUARIO, & JUSTO CONSS. 328.

3. Idem A. Euagrio P. U.

VEterani [51], qui ex negligentia vitæ, nec [52] rus colunt, nec aliquid honeſtum peragunt: ſed latrociniis [53] ſeſe dederunt: omnibus veteranorum privilegiis exuti, pœnis competentibus a Provinciarum Rectoribus ſubjiciantur. Dat. 3. Id. Auguſt. CONSTANTINO A. VI. & CONSTANTE II. CONSS. 353.

4. Impp. [54] HONOR. & THEOD. AA.

NUllus eorum, qui ſacramentis [55] inhærere deſierit, vel volens permittatur, vel invitus militare cogatur, ſeu ſtare judicum ſententiis [56]: quæ non his obſervatis latæ fuerint, nullam firmitatem habentibus; niſi [57] forte reperiatur ibi tempore militiæ cœpta cognitio, tunc enim velut necdum cingulo depoſito ſub militari Judice rem tractari, finirique præcipimus: niſi principali beneficio ſpecialiter indulto quidam ex his ſeſe defendant.

TIT. XLVIII.
DE [58] FILIIS OFFICIALIUM MILITARIUM, QUI IN BELLO MORIUNTUR.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Euagrio.

HI [59], qui [ex] officialibus quorumcunque officiorum geniti ſunt, ſive eorundem parentes adhuc ſacramento tenentur, ſive jam dimiſſi ſunt [60], in parentum militiam vocentur. Dat. prid. Non. Auguſt. BASSO, & ABLABIO CONSS. 331.

2. Imppp. [61] GRAT. VALENT. & THEOD. AAA.

FIlios [62] primipilariorum paternam ſequi conditionem oportet.

3.

SI [63] quis quocunque modo militans in bello moriatur, filius ejus, ſi unus ſit, vel ex multis major [64] natu, ſtatim in locum ejus ſuccedat, & easdem annonas accipiat, ſi pater usque ad Biarchi duntaxat gradum pervenerit. Quod ſi altiorem obtinuerit (veluti ducenarii, aut centenarii) filius ejus fiet tantummodo Biarchus. Manifeſtum autem eſt, majorem natu [65], in quem ejusmodi ſolatium confertur, fratrum ſuorum curam habiturum.

1 Similis eſt conſtitutio *l.* 5. *C. Theod. tit.* 9. *l.* 2. 2 Hæc non erant in C. Theod. ſed addita ſunt a Triboniano ex *l.* 6. *ſupr. qui mil. poſſ.* Mod. 3 *Al.* Impp. Honorius & Theodoſius AA. C. S. L. 4 *Al.* Anaſtaſius A. 5 *l.* 19. *C. Theod. h. t.* 6 Vide *l.* 7. *ſupr. de proximis ſacrorum ſcriniorum. hoc lib. tit.* 19. 7 *Lib.* 7. *C. Th.* 16. 8 Al. *littoribus.* 9 *Al.* Imppp. Gratian. Valent. & Theod. AAA. male. 10 *l. ult. C. Th. h. t.* adde quæ ſcripſi ad *l.* 11. §. 3. *ff. de publican.* 11 Vide *l.* 1. §. *quæ res exportari non debeant.* 12 Mittuntur. 13 Vide *l.* 3. *ſupr. de naviculariis. lib.* 11. *tit.* 1. 14 Qua provincia. 15 Ex hoc.

16 *Lib.* 7. *C. Th.* 18. vide 6. Harmen. 8. 17 *Al.* Imp. Theod. A. 18 *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 19 Deſertorem indicantis & prodentis præmium. 20 Signa militaria quæ & quot generum fuerint, dixi ad Rubricam, *tit. de verborum & rerum ſignific.* 21 Tenuerunt. 22 Punitur hac lege, tyro, milesve deſertor, & occultator ejus. Præmio autem afficitur proditor ejus: ſervus libertate, quod huic legi addendum eſt ex *l. ult. ſupr. quib. ex cauſ. ſer. pro præm.* quæ eandem inſcriptionem & ſubſcriptionem habet: Ingenuus mediocris loci immunitate, ut in cauſa falſæ monetæ, *l.* 1. *ſupr. de falſ. mon.* ideo autem illud *mediocris loci* additur, quia qui ſuperioris dignitatis ſunt, ſatis per ſe a muneribus vilibus excuſantur. *Mod.* 23 Deſertor eſt qui belli tempore abeſt a ſignis. adde *l.* 3. §. *deſertor.* 3. *ff. de re militari.* 24 Degeneri morte, al. *degenerem mortem gladii.* 25 *Pars l.* 11. *C. Th. h. t.* Deſertor ſeu qui ad hoſtes transfugit, tanquam hoſtis a quovis poteſt impune occidi. 6. Harm. 8. §. 1. 26 Vide *l.* 2. *ſupr. quando liceat unicuique ſine judice.* 27 Al. *obtinendum*, in lib. Aured. *obnitendum.* 28 Ὡς πολεμίους, ut hoſtes. 6. Harm. 8. Rebelles tamen alio ſenſu, *in feudis*, *Qui Rebelles.* 29 Ne ſuppoſitis. 30 Vel commentis. 31 *l.* 15. *C. Theod. h. t.* 32 Multa etiam alia ſeverius in deſertores conſtituta ſunt, veluti ut a provincialibus opprimantur impune *l.* 2. §. *quand. lic. unicuique ſine jud.* ut ejus criminis abolitio non fit, *l. ult. in fin. ſupr. de abolit.* ut morte non extinguatur crimen. *l.* 4. *ſupr. de re milit.* Mod.

33 *Lib.* 7. *C. Th.* 20. Περὶ τῶν ἀποστρατευομένων καὶ τῶν προνομίων αὐτῶν. De militibus emeritis & eorum privilegiis. *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 6. 34 *l.* 2. *C. Th. h. t.* In nonnullis cod. ſic *incipit hæc l. Imp. Conſtantin. cum introiſſet principia, & ſalutatus eſſet a præfectis & tribunis, & a viris eminentiſſimis acclamatum eſſet Auguſte &c.* recte. *Contius.* 35 *Principia* in re militari quid eſſent, dixi ad *l. ult. ſupr. quæ ſit longa conſuetudo*, *l.* 12. *in fin. ff. de re militari.* 36 Al. *noſtra ſalus.* al. *abſunt.* 37 *l.* 2. *in princ. ff. h. t.* 38 Honoribus. 39 *l. ult. ff. h. t.* 40 Nullo. 41 Puta ob navium fabricam. *l. ult. ff. h. t.* 42 Imo vectigalibus tenentur. *l.* 2. *in fin. ff. h. t.* 43 Venalitium vectigal innuere videtur, de quo ſcripſi ad *l.* 4. *ſupr. de proximis ſacrorum ſcriniorum. hoc lib. tit.* 19. 44 Solent. 45 *Superpellere*, *in vet. lib. ſed in C. Th. ſupercompellere.* 46 I. e. teſtimoniali dimiſſionis veteranorum. ſic enim epiſtola etiam accipitur in *l.* 2. *ſupr. de deſertor.* & aliis quoque locis, de quibus vide Cujac. *ad l. ult. ſupr. de profeſſ. & medic.* Mod. 47 *Multa ſunt hic a C. Th. detracta & immutata.* 48 Igitur immunes ſunt veterani ab onere portorii, *l.* 9. *C. Theod. de veteranis.* Item operum publicorum, de quo *l.* 1. *ſupr. de oper. publ.* & collationum extraordinariarum. neque quidquam debent civitatibus vel publicanis ob venditionem proponendam. *Mod.* 49 *In civitate Velovocorum, in Cod. Theod.* 50 *l.* 5. *Cod. Theod. h. t.* 51 *Pars legis* 7. *C. Theod. h. t.* 52 Veteranorum exercitia poſt miſſionem, rus colere, aut tale aliud honeſtum vitæ genus ſectari. 53 Milites ſeu pro militibus non habendi latrones armati. 54 *Al.* Imp. Theod. A. 55 Sacramentum militare quid, dixi ad *l.* 2. *ff. h. t. l.* 11. *ff. ad l. Jul. de adulteriis.* 56 Veterani mutant forum; nec enim jam amplius militare judicium obſervare coguntur, niſi ante miſſionem in eo lis conteſtata fuerit. Sic mulier per nuptias mutat forum, niſi ante nuptias litem inchoaverit. *l. pen. ff. de juriſdict.* Sed ipſa ſe prioris judicis juriſdictioni volens ſubmittere poteſt; veteranus duciano judicio ſe ſubmittere non poteſt. *Mod.* 57 In jus vocatus, ſi poſtea militiæ nomen dederit, non poteſt in ea cauſa uti præſcriptione fori, quaſi præventus, *ut hic*, *& l.* 7. *ff. de judiciis. l. pen. ff. de juriſdict.*

58 *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 7. *&* 7. *C. Theod.* 22. 59 *l.* 3. *C. Theod. ib.* 60 Erunt. 61 *Al.* Idem A. *al.* Impp. Arcad. & Honor. AA. 62 Facit *l.* 11. *C. Theod. h. t.* 63 Ut defuncti militis filius natu major ſtatim in locum patris ſui ſuccedat, & easdem annonas accipiat, usque ad Biarchi gradum. *Synopſ. ib.* 64 Primogenitis militum ſua fuit prærogativa. 65 Primogenitus frater fratrum inferiorum curam gerere debet.

TIT. XLIX.

DE [1] OBLATIONE [2] VOTORUM [3].

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Baſilio P. U.

QUando [4] votis communibus felix annus aperitur [5], in una libra auri, & ſolidis obryzatis [6] principibus offerendi devotionem animo libenti ſuſcipimus: ſtatuentes, ut deinceps ſequentibus annis uniuscujusque ſedulitas Principibus [7] ſuis talia inferat ſemper, & deferat. Dat. 3. Non. Mart. *Mediolan.* OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

TIT. L.

DE [8] NUMERARIIS, ACTUARIIS, ET CHARTULARIIS, ET ADJUTORIBUS, SCRINIARIIS, ET EXCEPTORIBUS [9] SEDIS EXCELSÆ [10], CÆTERORUMQUE JUDICUM, TAM MILITARIUM, QUAM CIVILIUM.

De numerariis, & tabulariis.

1. Imp. CONSTANTINUS [11] A. ad Veronicianum Vic. Aſiæ.

VOrax [12], & fraudulentum numerariorum propoſitum, qui diverſis obſequiis Rectoribus obſequuntur, ita inhibendum eſt, ut antea ſancivimus, & nunc itidem ſancimus, conditioni eos ſubdi tormentorum, & eculeis [13] [atque] lacerationibus ſubjacere. Dat. 14. Kal. Jun. OPTATO, & PAULINO CONSS. 334.

2. Impp. [14] VALENT. & VALENS AA. Clearcho.

QUi [15] numerarii appellari conſueverant Conſularium, atque Præſidum, duntaxat [16] tabularii poſt hanc noſtram ſanctionem vocabuntur: ſcientes ſe tormentis eſſe ſubjectos, niſi [17] judicibus, vel his qui provecti noſtro judicio ad provincias venerint, vel exactoribus debitorum, aut reliquorum [nomen, & [18]] modum frequenter ingeſſerint ſub actornm teſtificatione: quos ſcire oportet, cum his, qui debitores ſunt, ſeſe ad ſolutionem eſſe retinendos, niſi omnia debita ipſis fuerint indicantibus perſoluta, triennii [19] tamen ſpatio tabulariorum decet tempus omne concludi. Dat. 14. Kal. Mart. *Conſtantinop.* VALENT. & VALENTE AA. CONSS.

3. Iidem AA. Rufino P. P.

NUmerarios [20] Ampliſſimæ tuæ Sedis cingulum habere, & militiæ ordinem tenere jubemus. Dat. prid. Id. Decembr. *Pariſiis*, VALENTIN. & VALENTE AA. CONSS. 365.

In omni Provincia duo Numerarii, & Tabularii collocantur. Bart.

4. Imppp. [21] GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. omnibus Rectoribus Provinciarum.

IN [22] provinciis ſingulis duo Numerarii qui & Tabularii collocentur: quo ad unum fiſcalis arcæ [23] ratiocinium ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur: hoc ſcituri, quod ſi ex alterius [24] quicquam actibus ad alteram [25] partem illicita [26] fuerit uſurpatione translatum: is qui culpam judicis diſſimulatione texerit [27], graviſſimo ſit ſupplicio ſubjugandus. Dat. 3. Kal. April. CP. ANTON. & SYAGRIO CONSS. 382.

De exceptoribus.

5. Iidem AAA. Principio P. P.

EXceptores [28] omnes judicibus Provincialibus obſequentes, qui nec cohortalem militiam ſuſtinere videntur, neque a fiſco ullas conſequuntur annonas, abſque metu dare cœptis operam, etiamſi decuriones ſint, minime prohibemus: dummodo munera [29] propriæ civitatis agnoſcant, & peracto ſecundum morem exceptionis officio, ad propriam ſibi curiam redeundum eſſe non neſciant. Dat. 4. Id. Decembr. *Aquileiæ*, ARCADIO A. & BAUTONE CONSS. 385.

De Numerariis Actuariis.

6. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Severo P. U.

NE [30] diutius ad cunctorum perniciem actuarii numerariorum [31] conſortiis adjuventur, illuſtris auctoritas tua cunctos ex numerariis actuariorum ſocietate præcipiat [32] abſtinere, atque ab eorum communione diſcedere: quod ſi hoc moniti cuſtodire neglexerint, iisdem pœnis ſe quibus actuarios, non ambigant ſubjacere. Dat. 4. Kalend. Jun. *Niciæ*, HONOR. A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

De actuariis.

7. Impp. [33] THEOD. & VALENT. AA. Hierio P. U.

ACtuarios [34] tam claſſium [35] Urbis Conſtantinopolitanæ, quam Tymelæ [36], equorumque curulium [37] civitatum diverſarum, non aliter, niſi ut conſueverat [38], manus ſanxerit principalis, ſublimitas tua præcipiat ordinari, quod [39] ſi quis talis ſub tua fuerit judicatione convictus: profecto irritis his, quæ vetita contrectaverit, etiam congruam indignationem incurrat. Dat. 10. Kalend. Jul. *Nicomediæ*, THEOD. XII. & VALENT. II. AA. CONSS. 426.

De ſcriniariis vel numerariis præf. præt.

8. Iidem AA. Protogeni P. P.

SCriniarios vel Numerarios officii Magnitudinis tuæ jubemus nullatenus in poſterum aut mutuam pecuniam ſumere, aut polliceri cuiquam pro publicis expenſis cogi: quos nullam poſt depoſitam militiam inquietudinem ſuſtinere volumus.

De actuariis.

9. Impp. LEO jun. & ZENO AA.

NEmini licere deinceps jubemus in quacunque militia connumerato, ſollicitudinem actuarii ſubire: vel poſt depoſitam eandem curam ad militiam adſpirare, quatenus inter privatos agens, omnique militari privilegio denudatus, nihil mandationibus, vel fraudis circa commendanda ratiocinia, quibus obnoxius eſt, attentare valeat.

De Scriniariis, Numerariis, Adjutoribus, Chartulariis.

10. Imp. ZENO A. * P. P.

NUlli [40] Scriniario liceat pro tempore Numerarios plus quam quaternis vicibus, nec his tamen continuandis, adjuvare. Idemque hoc ſuper Chartulariis in præbenda pro tempore numerarii opera obſervari decernimus, ita ut Adjutorum quidem biennii, Chartulariorum vero unius anni intervallo continuato interrumpatur: nulla Adjutoribus ad Chartulariorum ſollicitudinem quam ſemel deſignati ſunt deſcendendi [41] danda licentia: ita ut Orientalis quidem tractus pro tempore Numerariis, nonniſi ab his ſcriniariis qui inter triginta viros a Numerario retro numerandos, Aſianæ [42] vero diœceſeos numerariis nonniſi ab his qui intra quinquaginta a numerario ſimiliter retro numerando invenitur: Ponticæ vero & Thraciæ [43] diœceſeos paſſim, & pro ſuo libito ex omni multitudine eligendorum adjutorum tribuatur facultas.

§. 1. Omnia ſane commoniones, vel præceptiones, aut evictiones, ſeu quælibet publica inſtrumenta, non ſolum Adjutoribus, verum etiam Provinciæ illius de qua diſponitur, tractatori [44] inſpiciendi, itidemque ſubſcribendi, aliorum quoque qui in cunctos tractant [45] in eadem ſubſcriptione mentione habenda, neceſſitatem incumbere. §. 2. Si quid autem ſine hac obſervatione ex Orientali, vel Aſiano, vel Thraciano [46] ſcrinio fuerit emiſſum, falli ſuſpicione non carent: exceptis publicis inſtrumentis quæ a ſcrinio Ponticæ diœceſeos emittuntur, quia in iiſdem inſtrumentis nonnulla numerarium ejusdem diœceſeos ſine Adjutore & Chartulario ſubſcribere Magnitudo tua diſpoſuit: ita ut ſi quid hujus legis fuerit violatum Numerarii quidem tam gradus ſui quam ſolemnitatum rerum univerſi [unius] jacturam: Adjutores vero quinquaginta librarum auri, & Chartularii quindecim itidem librarum auri pœnam ſubeant [47].

De numerariis.

11. Idem A. Cotoni Magiſt. milit.

OFficio [48] tuæ Magnitudinis datis precibus poſtulante, ut Numerariorum actus non in biennium, ſed in unum annum ſtatuatur: noſtra pietas hujusmodi petitionibus annuens, diſpoſitionem quæ ſuper biennio promulgata fuerat, ſuper uno tantummodo anno [49] revocavit.

De Cornicularis, Chartulariis, Primiſcriniis & Numerariis.

12. Imp. ANASTASIUS A. P. P. Illyrici.

PEr hanc divinam pragmaticam ſanctionem decernimus, quod antea Tribunis Prætorianis, dum dignitas eis qui in ſcriniis [50] ſeu gradibus officii tuæ Celſitudinis deponunt militiam præbebatur, & cuſtoditum fuiſſe dignoſcitur, hoc ſuper honore quoque Comitivæ dignitatis eis impertiri: ut ſententia pro fine eorum militiæ proferenda, dignitatis etiam mentionem contineat. Hoc quoque tantummodo, & ſine ſpeciali codicillorum vel divinorum apicum ſanctione ad eandem dignitatem adipiſcendam & privilegia eam ſequentia ſufficiat: ita tamen ut primi ordinis Comitivam per interlocutionem ejusdem poteſtatis mereantur [hi, id eſt] Cornicularius [51], & Chatularius, Primiſcrinius, & Numerarius ſcrinii Macedoniæ, & ſcrinii Daciæ, & ſcrinii operum, & ſcrinii auri. Hoc eodem in his etiam qui poſt novellam diſpoſitionem divæ memoriæ Zenonis, quæ de eisdem pœnis loquitur: & de iisdem perſonis [52], quæ depoſuerunt militiam, obtinente.

1 *L. 7. C. Th.* 24. 2 Al. *De obſervatione votorum.* al. *De obligatione.* 3 De votis adde *l.* 233. §. 1. *ff. de verb. ſignif.* 4 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 5 Nuncupabantur vota ineunte anno pro ſalute principis, *l. ſi caluitur. ff. de verb. ſignif.* & offerebatur libra auri in 72. ſolidis obryziatis ſive obryzatis: quo nomine quid ſignificetur vide Cujacium *ad tit. de vet. num. pot.* & Cottam *in voc. obryzati.* Mod. 6 Obryzati ſolidi quid eſſent, dixi ad *l.* 3. *Cod. ſupr. de vet. numiſm. poteſt. lib.* 11. *tit.* 10. Sunt qui ad *Ophir*, (quam provinciam Peru hodie vocari nonnulli putant) hanc vocem trahant. 7 Al. *principalibus.*

8 *L.* 13. *C. Th.* 1. περὶ ταβουλλαρίων καὶ χαρτουλαρίων βοηθῶν ἤτοι σκρινιαρίων καὶ ἐξκεπτόρων τῶν πολιτικῶν καὶ στρατιωτικῶν ἀρχόντων, de Tabulariis, adjutoribus ſive ſcriniariis & exceptoribus, tam civilium, quam militarium judicum. *Syn. Baſil.* 6. *tit.* 36. adde *l.* 25. *ſupr. de ſacroſ. eccleſ.* 9 Executoribus. 10 Excelſæ, id eſt, *prætorianæ.* 11 *Al.* Impp. Valentin. & Valens AA. 12 Voracitas ſeu concuſſio in officiali punitur. *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 13 Aculeis. 14 *Al.* Imppp. Grat. Valent. & Theod. AAA. 15 *l.* 9. *C. Theod. h. t.* 16 Recte addit hoc de conſularibus & præſidibus. nam illuſtrium præf. prætor. numerarii, vel etiam ſpectabilium conditionales non ſunt, quinimo cingulum militiæ geſtant & tenent, qui in officio præf. prætorio numerarii ſunt. *Mod.* 17 Vide *l.* 1. *ſ. de exact. tributorum. l.* 10. *tit.* 19. 18 Abſunt a *quib. lib.* 19 Vide *l.* 11. *J. h. t.* 20 *l.* 11. *Cod. Theod. h. t.* 21 *Al.* Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. 22 *l.* 12. *C. Theod. h. t.* 23 Al. *haſtæ.* 24 Alienis. 25 Alienam. 26 *l.* 36. *ff. de regul. juris. l.* 2. *J. de executoribus. h. l. tit.* 61. 27 *Traxerit*, al. *tenuerit.* 28 *l.* 2. *ſ. de proximis ſacrorum ſcriniorum. h. l. tit.* 19. adde *l.* 19. §. 9. *ff. locati.* 29 Munia. 30 *l.* 14. *C. Theod. h. t.* 31 *Numerarii* rationes & chartas tractabant in officio præf. prætorio; præf. urbi; præſidum & ducum. *Actuarii* palatinorum & comitatenſium numerorum rationes tractant, *l.* 5. *ſupr. de erogat. milit. ann.* & ita actuarii ſpecialiter accipiuntur. *l.* 3. 5. 10. & 15. *C. Theod. hoc tit. de numer. actuar.* Alii autem ſunt actuarii, de quibus dicetur *tit. ſeq.* Alii actuarii comitum ærarii. *l.* 3. *J. de div. off.* Fuere & præf. prætorio, proc. præſidibus, vicariis, præf. urbi, ab actis. *Mod.* 32 Percipiat. 33 *Al.* Imp. Leo A. 34 *l.* 4. *in princip. ſupr. de munerib. patrimoniorum, l.* 10. *tit.* 41. *l.* 5. *in princip. ſupr. de ſpectaculis. l.* 11. *tit.* 40. 35 Al. *clariſſimæ.* 36 *Chimeleæ.* al. *Antiochiæ.* Pyrrhus & Alciatus legunt *Timeleæ*, ſed hanc legem, ut excuſa eſt, reſtituit Cujacius ex *veter. lib.* & *l.* 21. & 22. *C. Theod. de div. offic.* qui interpretatur *Thymeleæ*, id eſt, ſcenæ. 37 Al. & *quarumcunque curialium.* *Al. quamque curialium.* Apulej. *l.* 3. equum curulem nimia velocitate refectum: Circenſes dicuntur hi equi. *l.* 1. §. 2. *ff. de munerib.* & *honorib.* quorum alendorum munus patrimoniale, non perſonale, *ut alias dixi.* 38 Conſueverant. 39 Quin. 40 Scriniarii adjutores non debent ſociari numerariis & chartulariis, niſi ſecundum modum hic declaratum. Bart. 41 Diſcendi. 42 Aſiæ. 43 Thraciæ. 44 Tractator hic paulo ante chartularius dictus eſt, a chartis tractandis, ut & *l.* 3. *ſ. de canone largitional. lib.* 10. *tit.* 23. *l.* 6. *J. de executoribus*, *h. lib. tit.* 61. *Novell.* 28. & 30. *c.* 2. & 128. *cap.* 24. *in fin.* 129. & 147. *c.* 2. 45 Contractant. 46 Thraciaco. 47 Pœnæ ſubjaceant. 48 Numerarii, qui rectoribus parent, triennales ſunt, *l.* 2. *ſ.* quod de numerariis Præf. prætorio proditum eſt. *l.* 13. & *ult. C. Theod. h. t.* At numerarii, qui ſunt in officio magiſtrorum militum, annui ſunt; olim erant biennales. *Mod.* 49 Al. *diſpoſitionem*, *quæ ſuper uno tantummodo anno promulgata fuerit*, *revocavit. l.* 2. *ſ. h. t.* 50 Scriniarios operum intelligit Cujacius *Novell.* 128. *cap.* 18. qui ſub Præfecto prætorio erant, quibus interdicta diſcuſſio eſt rationum ad civitates pertinentium *dicta Nov.* 128. *c.* 18. 51 Cornicularius officialis qui præeſt cornibus ſecretarii ut ſcribit Caſſiodorus *lib.* 11. *Variar.* 52 Alias additur, *quæ.*

TIT. LI.

DE [1] CURSU [2] PUBLICO, ET [3] ANGARIIS [4] ET PARANGARIIS.

1. Imp. CONSTANT. A. Titiano.

EQuos, qui publico curſui deputati ſunt, non [5] lignis, vel fuſtibus, ſed flagellis tantummodo agitari decernimus: pœna non [6] deſutura contra eum, qui aliter fecerit. Dat. prid. Id. Maji, SABINO & RUFINO CONSS. 316.

2. Iidem AA. [7] Cyndino P. P.

PRæſidibus [8], & Rationalibus, cæteriſque quibus propterea [9] reſpublica [10] & annonas, & alimenta pecoribus ſubminiſtrat [11], uſurpandi [12] paraveredi [13] licentia derogetur. Sed nec per aliam viam eundi quiſquam habeat facultatem: niſi per quam curſus publicus ſtare dignoſcitur: excepta videlicet tua ſublimiſſima ſede, cui curſus publicus, & proficiſcendi per cum licentia, & ubi ratio exegerit, præſto eſt. PP. 15. Kal. Mart. CONSTANTINO A. VII. & CONSTANTIO C. CONSS. 326.

3. Imp. [14] CONSTANT. A. Tauro P. P.

EVectiones [15] ab omnibus poſtulentur, & tam judices, quam cuſtodes publici curſus minime [tranſire] patiantur antequam ſeriem evectionis aſpexerint. Quod ſi [16] quis putaverit reſiſtendum, & ſine evectione iter facere detegatur, vel ultra tempus quod evectioni inſertum eſt, publico curſu uti conatus ſit: ubi repertus fuerit, ibidem [17] jubemus retineri: & ſiquidem dignitate præditus ſit, de ejus nomine ad providentiam [18] tuam, & ad illuſtrem virum comitem [19], & magiſtrum officiorum referri: adverſus vero cæteros protinus indignatio competens exercenda eſt, quos ſinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coërceri poſſe crediderit. Datum 8. Kal. Jul. *Mediolani*, CONSTANTIO A. IX. & JULIANO C. II. CONSS. 359.

4. [20] Imp. [21] JULIANUS A.

PArhippum [22] cum [23] videri, & habendum eſſe, qui [24] uſurpato uno [25], vel duobus veredis quos ſolos evectio continebit, alterum, tertiumve extra ordinem commoverit [26]. Nihil autem intereſſe debet, nec ad crimen vocari, utrum agens in rebus ſuo itineri, an mulionis ſubjugando, modo evectionis datæ formæ licentiam non excedat. Dat. 5. Id. Septemb. MAMERTINO & NEVITTA CONSS. 362.

5. Impp. [27] VALENT. & VALENS AA. ad Symmachum Correctorem Lucaniæ, & Brutiorum.

SI [28] quis per publicum curſum iter faciens, cujuſcunque dignitatis, vel militiæ, ab itinere recto diverterit, pœna in eum competens proferatur. Dat. 8. Kal. April. *Mediolani*, VALENTINIANO, & VALENT. AA. CONSS. 365.

6. Iidem AA. & GRATIANUS A. ad Amphilium.

EVectionum [29] copiam ſenatui cum proficiſcendi ad nos neceſſitas fuerit, ſerenitas noſtra largita eſt: ita tamen, ut a nobis evocatur, aut a clementiæ noſtræ veneratione diſcedit. Si quis ergo poſthac contra vetitum ſibi curſum publicum illicita temeritate præſumpſerit, notam ſe in noſtræ manſuetudinis excitabit. Dat. 3. Id. Decembr. *Trev.* GRATIANO A. II. & PROBO CONSS. 371.

7. Iidem AAA. ad Hiſprinium P. P.

IN [30] omnibus provinciis veredorum quarta pars reparetur [31]: ſtabula autem ut impenſis publicis extruantur, contra rationem eſt: cum provinciarum ſumptu, in quorum locis ſtabula conſtituta ſunt, citius arbitremur apparanda, & utilius ſit, tam publico, quam his, quos [32] ſtercus [animalium pro] ſuo ſolatio hoc concedimus. Dat. 3. Kal. Mart. *Trev.* GRATIANO A. II. & MEROBAUDE CONSS.

8. Imppp. [33] VALENT. GRAT. & VALENS AAA. Floro Com. R. P.

UT [34] agendi itineris poſſit eſſe moderatio, deni veredi per dies ſingulos ex utraque parte dimittantur: pœna quinque librarum auri minime deſutura contra eos, qui ſtatuta noſtra [35] neglexerint.

Faciendæ evectionis copia omnibus judicibus denegetur, excepto Præfecto prætorio, & officiorum magiſtro. Bart.

9. Imppp. [36] GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. [Floro] * P. P.

JUdicibus [37] faciendæ evectionis copiam denegamus: cum id tantum noſtro numini [38], & tuæ ſedi, necnon [39] viro illuſtri magiſtro officiorum ſit reſervandum: cum neque præfecto urbi, nec magiſtris militum, nec [40] ducibus, nec vicariis, nec cuiquam [41] alii præter memoratas duas poteſtates a nobis hoc conceſſum ſit [42]. His enim [43] tantum ambulandi facultatem judices ex ſuo arbitrio præbituri ſunt, quos in tranſmiſſionem publicarum functionum perſecutores [44] viderint conſtitutos: ſcituri, ſi definitionem noſtram exceſſerint, ſe quidem vigintiquinque auri libris, officia vero quinquaginta eſſe multandos. Datum 10. Kalend. Aug. CP. ANTONIO, & SYAGRIO CONSS. 382.

10. Iidem AAA. Philagio Com. Ord.

GRaviſſimæ [45] pœnæ acerbitate propoſita, evectionum [46] contractus, animalium quoque publicorum merces, & ementis & diſtrahentis coërcitione prohibemus. PP. *Byato.* Dat. 15. Kalend. Octob. ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

11. Iidem AAA. Cynegio.

NUllus [47] evectione utatur privatus, tametſi valuerit impetrare. Dat. 6. Non. Mart. RICHOMERE & CLEARCHO CONSS. 384.

12. Imppp. [48] VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

QUoniam [49] veredorum [50] quoque cura pari ratione [51] tractanda [52] eſt [53]: ſexaginta libras auri ſella cum frenis, ſexaginta [itidem] averta [54] non tranſeat: ea conditione, ut ſi quis præſcripta moderaminis imperatorii libramenta tranſcenderit, ejus ſella in fruſta cædatur: averta vero fiſci juribus deputetur, exceptis auri centenariis [55], quæ neceſſarium [56] eſt ab hippocomis [57] in ſolitis ſacculis reportari. Dat. 15. Kal. Jul. CP. ARCADIO A. I. & BAUTONE CONSS. 385.

Non debent ruſtici, qui hippocomi appellantur, perducendo equos, per publicum curſum indigna ſpoliatione vexari. Bart.

13. Iidem AAA. Floro P. P.

NOn [58] patimur hippocomos per eos, qui veredis utentur, indigna ſpoliatione vexari: ſi quidem nonnulli veredarii [59] ſaga eorum dicuntur auferre, vel præcidere. Quocirca per omnes judices, & curioſos [60] miſerabilis removeatur [61] injuria: ſcientibus cunctis, quod ſi obſervata non fuerit noſtra ſanctio, non ſolum damna reſarcire, verum etiam notam, & multam, qui neglexerit, ſubire cogetur. PP. 15. Kal. Jul. *Trev.* VALENTINIANO A. IV. & NEOTERIO CONSS.

14. Iidem AAA. Potamio P. P. Auguſtali.

PUblici [62] curſus exhibitio ſecundum locorum conſuetudinem [63], vel curialibus, vel cohortalibus [64] debet committi, vel his, qui [65] ſuo periculo ab eminentiſſima præfectura ſub competenti cautela excipiunt. Dat. 3. Kal. Aug. CP. ARCADIO A. II. & RUFINO CONSS. 394.

15. Impp. [66] ARCAD. & HONOR. AA. Dextro P. P.

SI [67] quis, vel pro una [68] mutatione veredum ſuperducendum eſſe crediderit, in quadruplum ſuperductorum [69] animalium pretium fiſci juribus [70] inferat. Datum 15. Kalend. April. *Mediolan.* OLYBRIO, & PROBINO CONSS. 395.

16. Iidem [71] AA. Remitheo duci Armeniæ.

HIs [72] tantummodo utendi curſus publici facultas conceſſa eſt, qui legati [73] de diverſis gentibus ad noſtram clementiam properare feſtinant.

17. Iidem AA. Lucentio [74].

NEmo [75] mulionem mutationibus deputatum, vel per ſolicitationem, vel per receptionem [76] ſubtrahere audeat, decem libras argenti pœnæ nomine inferre reformidans. Dat. 12. Kalend. Mart. *Mediol.* HONORIO A. IV. & EUTYCH. CONSS. 398.

18. Iidem AA. Meſſalæ P. P.

ANimalia [77] publica dum longe majore [78], ac periniquo pretio pabula æſtimantur, per mancipes, atque apparitores aperte vexantur: ne id contingat, ſublimitas tua diſponat, ut nec pabula mutationibus deſint, nec provinciales ultra, quam juſtitiæ ſinit ratio, prægraventur. Dat. 15. Kal. Decemb. STILICHONE, & AURELIANO CONSS. 400.

19. Iidem AA. & THEODOS. A. Septimio Procur. Afric.

COmperimus [79] provinciales, & pabula, & pecuniam pro [curſu] equorum curſualium ſolenni ratione conferre, & extrinſecus

1 *L.* 8. *C. Theod.* 5. περὶ τοῦ δημοσίου δρόμου καὶ τῶν τοῖς κοντούροις χρωμένων. *Synopſ. Baſil.* 57. *tit.* 17. id eſt, de curſu publico, & iis, qui conturis utuntur. Galli appellant *Poſtes.* 2 De curſu publico multa Alciat. hic non aſpernanda, itidem & Budæus in annot. poſter. ad Pandectas. 3 *Eclog. lib.* 5. *tit.* 1. 4 Angaria eſt, qua curſus publicus diſpoſitus eſt: parangaria, alioverſum. vid. *Synopſ. Baſil.* 5. *tit.* 1. *ex lib.* 56. *tit.* 17. *cap.* 22. adde *l.* 18. §. 4. *ff. de munerib.* 5 Οὐδὲ ξύλοις, οὐδὲ ῥοπάλοις τύπτονται, ἀλλὰ μόνον στραγγελίοις (id eſt, flagellis) ἐλαύνονται. *Synopſ. h. t. c.* 1. adde *l.* 1. §. *impuberi.* 33. *ff. de SC. Silaniano.* 6 Vero. 7 *Alias*, *Acyndino.* 8 Καθολικοῖς. Præſidibus & generalibus cæteriſque procuratoribus, & cuivis alii magiſtratui, ac eorum animalibus propterea ex publicis rationibus alimenta deputata ſunt, ne publico curſui moleſti ſint. 57. *Synopſ.* 17. *c.* 2. 9 Præterea. 10 *Reſpublicæ*, *in quibus. manuſcr.* id eſt, civitates. 11 Al. *ſubminiſtrant.* 12 Adde *l.* 10. *J. h. t.* 13 Veredi ſunt publici equi curſuales: Paraveredi videntur eſſe majores equi agminales, quos vulgo Parafredos vocant. Cujac. *ad hunc tit.* Galli *Pallefroys.* 14 *Al.* Impp. Arcad. & Honor. AA. * P. P. 15 Evectiones, ſunt diplomata, ſive codicilli, quibus curſu publico utendi facultas datur. Cujac. quæ & ſynthemata & combinæ & tractatoria dicuntur. Apud Græcos (hoc eſt autorem ſynopſeos 58. *tit.* 57. *cap.* 8.) hæc ſententia eſt. A quovis iter faciente, licet maximæ vir dignitatis ſit, præpoſiti curſus publici accipiant συντήματα teſſeras. Quod ſi reſiſtet, ad P. Prætorio & Comitem & magiſtrum officiorum de eo referatur. Cæteri protinus puniantur. 16 Publicanos ſuſpectos fraudati vectigalis, ſuſpectis in locis iter inſtituentes, manu injecta retinere poſſe hinc colligit Corſetus *ſingulari*, *Gabella ſi aliqui.* 17 Eodem. 18 Prudentiam. 19 Magiſter officiorum dicitur etiam Comes, ut in *l.* 10. *C. Theod. de curioſis* & *inſcriptione legis* 3. *ſ. de officio magiſtri offic.* & *l.* 3. *l.* 4. *ſupr. de caſtrenſianis. h. l. tit.* 26. Ita eundem vocat Ælius Amidenus medicus. 20 *Al.* Imp. Juſtin. A. Mamertino P. P. 21 *Al.* Impp. Honor. & Th. AA. 22 Parhippus eſt, qui uſurpato uno, vel duobus veredis, quos ſolos evectio continet, alterum tertiumve extra ordinem commovet. V. Caſſiod. *lib.* 4. & 5. *Var. ep.* 4. 23 Publicanus poteſtatem Titio faciens rerum exportandarum, Titii quoque uxori earum exportandarum feciſſe intelligitur: ut reale quam perſonæ beneficium ſit magis. Corſetus *ſingulari*, *Gabella gabellariis.* 24 Id eſt, ſi quis. 25 *l.* 15. *l. ult. J. h. t.* 26 Commovere equum, eſt eo uti. vid. *l. ult. J. h. t.* 27 *Al.* Imp. Theod. Conſ. A. 28 *l.* 25. *C. Theod. h. t.* 29 *l.* 32. *C. Theod. h. t.* 30 *l.* 34. *C. Theod. h. t.* 31 Reparari ita dicitur quintum animal. *l.* 4. *ſ. de murilegulis. lib.* 11. *tit.* 7. 32 Fimetum ſeu ſtercus equile pro ſolatio hoſpiti relinquendum, vide *l.* 12. §. *ſed ſi pecoris.* 2. *ff. de uſu & habitat. Inſt. de uſu.* 33 Imp. Valent. A. 34 *l.* 38. *C. Theod. h. t.* 35 *Al.* additur, *lege.* 36 Impp. Leo & Anthemius. 37 *l.* 40. *C. Theod. h. t. l.* 2. *J. de cohortal. h. l. tit.* 58. 38 Nomini. 39 Nec vero. 40 *l.* 16. *l.* 20. *J. h. t.* 41 Cuidam. 42 Eſt. 43 Etenim. 44 Proſecutores. 45 *l.* 41. *C. Theod. h. t.* 46 *l.* 2. *ſupr. h. t.* 47 *l.* 44. *C. Theod. h. t.* 48 *Al.* Imp. Leo A. 49 *Pars legis* 47. *C. Theod. h. t.* 50 Ἵππων: Quoniam & equorum habenda cura eſt, ſexaginta libras ſella cum freno habeat. ἡ δὲ βέρτα, vel ἀβέρτα τουτέστι τὸ ὑπομάσχαλον ὅπερ ἐπιφέρονται κατὰ τοῦ νώτου, καλεῖται δὲ βέρτα ἐκ τοῦ ἀποστρέφεσθαι. Averta vero (id eſt, lateralium quod in tergo geſtant: vocatur autem averta ex eo, quod averſa ſit) & ipſa librarum ſexaginta ſit. Quod ſi quis præſcriptum hunc modum tranſcenderit, ejus ſella in fruſta comminuetur, & averta fiſci juribus deputabitur: excepta tamen auri centenaria ſunto. 57. *Synopſ. Baſil.* 17. *c.* 12. 51 Impetratione. Al. *moderaminis imperii.* 52 Vid. Panciroll. *rer. memorab. lib.* 2. *tit.* 16. Anſ. 53 Contractanda. 54 Averta, quod explicat Budæus *in tit. ad l. Cornel. de falſ.* 55 Ornamenta erant veredorum avertis applicita. ita DD. male. 56 Neceſſe. 57 Hippocomi dicuntur ſtabularii, ſeu equorum curatores. Gloſſis ἱπποκόμος, Agaſo, Equilio. 58 *l.* 50. *C. Theod. h. t.* 59 Veredariis. 60 Curioſi ſunt, qui curam totius publici curſus gerunt. *Maitre des Poſtes.* 61 Moveatur. 62 *l.* 51. *C. Theod. h. t.* 63 *l.* 22. *J. h. t.* Conſuetudo in publici curſus exhibitione ſervanda, *ut hic.* Unde notant, mulos equoſve conductitios plus conſuetudine præcepta non eſſe onerandos. Corſetus *ſing. Onus.* 64 Cohortales apparitores, præſidum perpetui cohortalini, & beneficiarii curam habentes manſionum equorum dicuntur Patricio apud Thalelæum 45. *Baſil.* 1. *l.* 7. *J. de cohortal. h. l. tit.* 58. *l. officiales*, *ſ. de epiſc. & cleric.* cætera vid. *in l.* 10. *J. de cohortalib. h. l. tit.* 58. 65 Quos. 66 *Al.* Imp. Zeno A. 67 *Pars legis* 53. *C. Theod.* Si quis vel unam mutationem (curſus ſubaudi) prætervectus fuerit, quadruplum animalis pretium perſolvat. 57. *Synopſ.* 17. *c.* 36. 68 *l.* 4. *ſupr. h. t.* una mutatio, *une poſte.* 69 Supradictorum. 70 *Viribus*, quod magis probat Cujac. quia in lib. veter. frequentius reperitur. 71 Al. *Idem A.* 72 *Pars legis* 57. *C. Th. h. t.* 73 Vid. *l.* 9. *ſupr. h. t.* Goth. Privatis non licet uti curſu publico, niſi legatis diverſarum gentium ad comitatum feſtinantibus, vide porro Joannem Aurpachum *lib.* 1. *ſingul. allegat. cap.* 9. & *lib.* 2. *c.* 31. Mod. 74 *Al.* Vincentio P. P. 75 *Pars legis* 58. *C. Th. h. t.* 76 Al. *obreptionem.* 77 *l.* 60. *C. Theod. h. t.* 78 Minore. 79 *l.* 64. *C. Th. h. t.*